

noti ratio tibi constet, audi. Obtigit nobis tandem uirgula, ni fallor, diuina Graecarum literarum professor, quem doctiorem fidiorem ne dicam, haud in procliui est. Nos quominus occasionis neglectae poenas aliquando sumat poenitentia, ut Gazae grammatica nobis priuata opera enodaret, impetrauimus idque improbe adeo feruens initio nos Graece discendi cepit<sup>1</sup> desiderium. Sed quid? Baetzius desertor hastam abiicit, a coepto resilit consilio, praeceptionum grammaticarum (quas ut sunt subamaras causatur) taedium deuorare detrectat. Ad haec Musas Latinas, quas ardentissime deperit, infensas metuit, si eum et Graecas amare rescuerint, cum nusquam uehementius celebrentur quam si quem repperint, qui ex pari utrasque ueneretur, tantum abest ut sint zelotypae. Amiculorum bona pars tentauimus, quo persisteret, ne fugam capesseret, uerum surdo fabulam cecinimus. Tu qui utraque lingua praestas, citra puluerem efficies, quod aliis ἀδύνατον fuerit. Proin per sanguinem illum auitum, per amicitiae sacra Baetzium cohortare, quo in Graecas literas incumbere non grauetur. Indubie namque tuis eum iussis obsecuturum speramus. Vide mi Michael, quam tenere amem candidissimum amicum, quem rebus suis consultum uelim; in quo si peccauero, amori tribuas qui forsitan plus aliquando amanter, quam exacte negotium expendit. Tu si uacat, uel breuissima scheda amicitiam tuam testare. Vale in domino Jesu, doctissime uir. Ad lucernam. Friburgi, Idibus Octobris MDXXI.

Aus dem Cod. lat. Monac. 4007, fol. 133.

Ravensburg.

XLIX.

31. October 1521.

Michael Hummelbergius Jacobo Bederoto salutem P. D.

Literis tuis, omnis elegantiae et humanitatis plenissimis, ut iusta epistola nunc respondeam, non uacat. Occupatior namque sum, quam ut Asiana copia uti queam. Etsi negotiis non distringar, diuexor tamen non parum timore inualescentis heic luis. Idque adeo ut uix mente constem, οὐ γὰρ ἀπαθής

<sup>1</sup> ,coepit' die Hs.